

Jamvero, saltem ex positivo jure, hac potestate pollent :

1° Pater in omnia vota liberorum suorum impuberum ; impubertas autem, secundum jus ecclesiasticum, finitur in masculis anno 14° completo, in feminis completo 12°. Cfr. Decr. Grat, caus. 32. q. 2. c. 14. et l. 3. Decr. tit. 31. c. 2. Eadem potestas competit, defectu patris, avo paterno vel tutore ; matri autem probabiliter, etiam praesente, sed non contradicente patre. (S. Alph. n. 230) Exerceri potest etiam in illa vota quae liberi impuberes emisissent, et jam puberes ratificaverint, quia ex errore ea firma esse putaverint ; minime vero in ea quae ratificaverint scientes esse infirma et independentem a prioribus. (S. Alph. n. 238 ; Ball. P. n. 119 seqq.)

2° Superiores religiosorum, immo probabiliter et Superiorissae monialium, in omnia vota quae a subditis emittuntur, postquam se eorum potestati dominativae, saltem per vota simplicia, subjecerint. Excipiuntur vota sive sollemnia, sive simplicia, quae professionem religiosam constituunt vel e constitutionibus quorundam Ordinum comitantur ; insuper votum transeundi ad religionem strictiorem. (l. 3. Decr. tit. 31. c. 18)

3° Probabiliter (S. Alph. n. 234) maritus in omnia vota uxoris, durante matrimonio emissa. Verius tamen censemus marito competere solam potestatem indirectam in vota uxoris : quia nullo textu Juris probatur directa. Frustra citatur a multis locus e V. T. (Num. XXX, 7) : nam, etiamsi inde constaret hanc potestatem competiisse marito sub V. T., certe haec dispositio, utpote caerimonialis, abolita est. (Lessius, l. 2. c. 40. n. 89)

Hi omnes hac potestate sua valide uti possunt, etiam postquam jam positive consenserunt : eo quod non se privarunt dominio et potestate sua. Quodsi id facerent sine causa rationabili, leviter quidem peccarent ; de gravi autem non constat (S. Alph. n. 239), nisi id fiat in odium religionis vel ob aliud motivum graviter malum.

326. II. Indirecte irritare votum possunt ii quorum juri praejudicatur, sive quia vovens disponit de re temporali in quam alter jus habet, sive quia res promissa impediret ne jam praesto esset subditus justis Superioris praeceptis exsequendis. Patet ex jure naturali, quod non sinit fieri promissionem in praejudicium tertii. (S. Alph. n. 241) Igitur id possunt :

1° Pater in vota filiorum suorum puberum, quamdiu manent in domo paterna nec sunt emancipati, quatenus horum vota paternae potestati officiant.

2° Uxor in vota mariti, etiam ante matrimonium facta, quatenus haec praejudicant vitae sociali et usui domini quod habet in corpus mariti.

3° Dominus et domina respectu famulorum, ut si ii voverint jejunium vel prolixas orationes, quibus fierint impares adimplendis officiis ad quae se, operas suas locando, adstrinxerint. (S. Alph. n. 242)

4° Superiores vel Superiorissae in omnia vota noviciorum, quatenus noviciatus exercitia et debitam rationem impediunt. Similiter dicendum de Superiore Collegii respectu alumnorum. (Ball. P. n. 133)

Hi omnes (pariter atque in irritatione directa) hanc potestatem exercere possunt etiam in vota quae ipsi eorumve antecessores jam approbassent. Excipitur communiter nisi : " suo jure (Superior) cessisset et hanc concessionem subditus acceptasset, ut v. gr. in voto castitatis, mutuo mariti et uxoris consensu facto. " (Bus. apud S. Alph. n. 242) Attamen hanc applicationem conjugibus qui mutuo consensu castitatem vovissent jam S. Alph. (n. 239) sat infirma ratione niti significavit ; Ball. P. autem (n. 137 seqq.) fuse impugnavit. Absolute igitur loquendo (quamvis ad praxim non faciat), posset uxor petere a marito ut potestate sua *directa* utatur ad infirmandum uxoris votum, quo posito, et ipsa *indirecte* votum mariti irritare posset.

§ 7. DE DISPENSATIONE VOTI.

327. NOTIONES. Dispensatio voti est absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. (S. Alph. n. 250) Haec semper datur e speciali potestate a Deo concessa, seu ex illa auctoritate quam Christus in Ecclesia vigere voluit ad publicum istius regimen ; supponit ergo in dispensante veram jurisdictionem. Nequit autem exerceri nisi in volentem : nam, si quis invitatus est quominus dispensetur, aequivalenter iterum sibi votum imponit. Patet, ex supra dictis, in irritatione voti nec jurisdictionem in irritante, nec consensum voventis requiri.

328. ASSERTA. I. Ad dispensationis valorem requiritur **justa causa**, cum fiat in lege superioris. (n. 118) Causae autem sufficientes censentur (S. Alph. n. 252 seqq.) :

1° Bonum Ecclesiae, rei publicae vel familiae ; item major profectus voventis.

2° Notabilis difficultas, etiam praevisa, in executione voti ; cui aequiperantur periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem fragilitatem hominum, et magni scrupuli vel frequentia dubia voventis.

3° Imperfectio actus, vel levitas ac facilitas ex qua processit votum, ex. gr. emissum ab impubere vel instante metu naufragii.

Quodsi causa non videatur sufficiens, admisceatur aliqua commutatio.

II. Potestas dispensandi in votis competit iis omnibus qui jurisdictionem in foro externo vel privilegium obtinent, quales sunt :

1° Romanus Pontifex respectu omnium fidelium in omnibus votis.

2° Episcopus respectu suorum subditorum; similiter Nuntius Apostolicus in sua provincia.

3° Praelati Regulares exempti respectu suorum religiosorum et noviciorum, idque circa vota quae vel in saeculo, vel in noviciatu fecerunt, etiam in voto transeundi ad Ordinem strictiorem.

4° Confessarii Regularium Ordinum, respectu omnium fidelium, sive in confessione, sive extra confessionem. Videant tamen singuli quatenus hoc privilegium a R. P. Ordini concessum ipsis communicetur.

Dispensare ergo nequeunt Parochi, Praelati non exempti, Abbatissae, etc. (S. Alph. n. 256 seqq.; Ball. P. n. 173 seqq.)

329. III. Qui R. P. inferiores sunt, nequeunt (sine speciali delegatione) dispensare in his quinque votis: castitatis perpetuae, religionis approbatae, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam et in Terram Sanctam. Votum autem castitatis etiam ad tempus emissum in instituto quod utitur jure pontificio, reservatum est Sanctae Sedi. (Const. *Conditae*)

Attamen ea vota non sunt R. P. reservata :

1° Si emissa sunt sub obligatione levi.

2° Si emissa sunt ex metu, etiam levi, ab alio incusso, quia tunc non sunt facta cum plena libertate.

3° Si non sunt perfecta ex parte materiae. Hinc, quoad votum castitatis requiritur ut voveatur in perpetuum abstinentia ab omni actu venereo et omni actu etiam interno contra castitatem. Non est ergo reservatum votum non nubendi, servandae virginitatis vel castitatis conjugalis. Similiter neque votum ingrediendae Religionis improprie dictae seu in qua non emittantur vota sollemnia, neque votum peregrinationis Romanae quae non fiat praecise intuitu liminum Apostolorum.

4° Si sunt disjunctiva, ex. gr. ingrediendi Religionem vel peregrinandi.

5° Si emissa sunt sub condicione, quamdiu haec nondum completa est et probabilius etiam postquam completa est. (S. Alph. n. 261) Nam votum, ut sit reservatum, procedere debet ex perfecto et solo affectu ad rem promissam. Hoc autem non contingit in votis condicionatis, ubi condicio praefertur rei promissae, et ideo principalis affectus est ad condicionem, ex. gr. ad sanitatem propriam vel alienam. Non sunt tamen vere condicionata vota in quibus " si „ aequivalet voci " quando „, ex. gr. si moriatur mater quam alere debeo, voveo Religionem ingredi.

Neque reservatur dispensatio a circumstantiis quae interdum ipsorum votorum substantiae adduntur, ex. gr. ingrediendi Ordinis *strictioris*.

IV. Non licet, saltem iis qui R. P. inferiores sunt, dispensare in votis e quibus sit **jus quaesitum tertio**. Hoc autem dupliciter contingit: imprimis si votum, puta oboedientiae vel perseverantiae, emissum est in aliqua congregatione religiosa, siquidem id fit per modum contractus onerosi; deinde si votum emissum est in utilitatem solius hominis et ab eo acceptatum, quod tamen non obligat sub gravi quatenus est promissio homini facta et ex fidelitate servanda.

Licet igitur dispensare si votum nondum est a tertio acceptatum, si tertius ille consensum dat, immo probabiliter etiam sine ejus consensu, quando votum principaliter emissum est in honorem Dei, sed secundo in favorem alicujus tertii determinati, puta talis ecclesiae vel pauperis, et ab hoc acceptatum. Ratio est quod Deus est tota causa promissionis, et per accidens se habet quod tertius ille accepit: is ergo jus suum acquisivit tantum dependentem a beneplacito Dei cui servari debet promissio. (S. Alph. n. 255)

§ 8. DE COMMUTATIONE VOTI.

330. I. Commutatio voti est substitutio alterius operis honesti loco ejus quod promissum erat, sub eadem obligatione.

Ut commutatio debito modo fiat, duo sunt attendenda (S. Alph. n. 243; Ball. P. n. 149 seqq.):

1° Auctoritas ecclesiastica necessaria est ut commutatio fiat in paulo minus bonum; quodsi fieret in bonum notabiliter minus, jam dispensatio diceretur. Quodsi quis cuperet commutationem in bonum certo aequale, probabilius etiam ad auctoritatem spiritualem esset recurrendum. (S. Alph. n. 244); probabile tamen est eam ab ipso vovente fieri posse. Nam Deus, utpote benignissimus, praesumendus est acceptare opus quod ex se aequale ad Ipsius gloriam conducit, majore autem fervore et hilaritate a vovente praestabitur. (Ball. P. n. 150) Attamen, cum tam obscurum sit quandonam opera bona sint vere aequalia, et periculum sit hallucinationis, practice prorsus suadendum ut saltem ad confessarii consilium, vel etiam ad habentem commutandi facultatem, recurratur. Unicuique vero licet votum suum commutare in melius, nempe in id quod, spectatis concretis adjunctis et praesertim condicione voventis, apparet magis conducere ad Dei gloriam et spiritualem voventis utilitatem. Ideo absolute statui nequit utrum liceat mutare jejunium in orationem, rosarii recitationem per hebdomadam integram in communionem, etc. (Ball. P. n. 150) Certe potest unusquisque omnia vota sua personalia mutare in votum Religionis ingrediendae.

2° Ut fiat commutatio in opus paulo minus bonum, requiritur justa

causa; haec tamen si abfuerit, probabile est valere commutationem, modo suppleatur defectus, quia, cum in promissionibus humanis adimplendis non esset major obligatio, idem supponere licet in votis, cum Deus mitius nobiscum agere soleat. (S. Alph. n. 245) Similiter ad commutationem in aequale bonum requiritur justa causa, sufficit tamen parva, ex. gr. major propensio, minus periculum transgrediendi. Ad commutationem in melius nullam causam requiri patet.

Facultatem ecclesiasticam commutandi vota habet quicumque dispensandi facultate praeditus est: nam minus in majori ejusdem speciei concessum intellegitur.

331. II. Quando votum commutatum est in minus vel aequale, licet redire ad prius: nam commutatio facta est in favorem voventis, cum tacita condicione, *si ei placuerit*. Idem etiam probabilius dicendum, ubi votum commutatum est in melius cognitum et acceptatum, nisi jam factum sit novum votum: nam nullum propositum obligat nisi interveniente promissione et animo se obligandi. (S. Alph. n. 248)

III. Si voti a legitima auctoritate commutati materia jam facta sit impossibilis vel indifferens, etiamsi id evenit culpa voventis, qui ex. gr. jejunium substitutum statuto die neglexit, non obligatur ad implendam priorem materiam voti: haec enim obligatio exstincta est. Ubi vero commutatio facta esset sola voluntate voventis, neque impleri posset opus substitutum, prius implendum esset: nam tunc prior obligatio nullo actu exstincta est. (S. Alph. n. 249)

SECTIO III. — DE TERTIO PRAECEPTO.

332. Effertur tertium Decalogi praeceptum his verbis: "Memento ut diem Sabbati sanctifices." Hoc praeceptum *naturale* est, tantum quatenus jubet aliquod tempus cultui divino impendere; Sabbati vero designatio et peculiaris ratio diei sanctificandae pertinebant ad legem caerimonialem, ideoque sub N. L. cessarunt. Ab Ecclesiae igitur constitutione repetenda est determinatio dierum sanctificandorum, seu Dominicae et festorum, necnon rationis qua sanctificandi sunt. (2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.) Hinc etiam patet quodnam sit hujus praecepti subjectum. Cfr. n. 94.

Praeceptum istud, ut ab Ecclesia determinatum est, partim *negativum*, partim *positivum* est: negativum, quatenus certa quaedam opera prohibet hisce diebus, scil. a media nocte ad mediam noctem; positivum, quatenus praecipit assistentiam Missae. In quibusdam regionibus RR. PP. indulsere ut in aliquibus festis diebus, salvo praecepto audiendi Missam, fideles operibus prohiberi solitis vacent.

CAPUT I.

DE OPERIBUS QUAE DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR.

§ I. DETERMINATIO OPERUM PROHIBITORUM.

333. I. Diebus Dominicis et festis prohibentur opera *servilia*: quae determinanda sunt tum ex operis natura, tum ex consuetudine in singulis locis recepta ab iis qui christiane vivere solent.

Opera respectu dierum festorum dividi solent in *servilia* et *liberalia*, *Servilia*, *vi nominis*, sunt ea quae ab iis tantum quos solemus dicere servos, seu operarios, fieri solent; *natura rei inspecta*, sunt ea quae corporis potius quam animae viribus exercentur et corporis utilitati deserviunt, ex. gr. arare, suere. *Liberalia* autem, *vi nominis*, sunt ea quae ab iis qui famulari non solent exercentur, ut legere, scribere; *natura rei inspecta*, sunt ea quae potissimum animae viribus peraguntur ejusque utilitati deserviunt. Praeterea multi AA. recensent opera *mixta* seu quae aequae ab operariis et ab honestioris condicionis hominibus fieri solent: quamquam hoc tertium divisionis membrum parum prodest.

In multis operibus sufficit eorum naturam inspicere ut pateat ea esse *servilia*, ex. gr. arare, lapides secare: quare nulla consuetudine haec licebunt quamdiu lex ecclesiastica stabit. In aliis vero, ut ducere currus onustos, res minus patet et locus est consuetudini, quae ea accenseat *servilibus*, vel ab istorum censu removeat.

II. Ad dignoscendum characterem servilem alicujus operis nihil refert:

1° Utrum fiat *ex lucro* an *ex recreatione*. Quare requiem die festo praescriptam violat qui opus servile, ex. gr. terram fodere, fabrum lignarium agere, ex recreatione obit; illam non violat qui opus liberale, ex. gr. transcribere, lucri causa praestat.